

lum nullum erat, medicus aberat, qui penitus sollicitudinem nullam esse testaretur; at ubi se in lectum inclinavit, solutus est idem presbyter. Nectaceo, & in hoc ipso die, quo puer solvebatur, petit patrem ad pacem, & petit tertio, & in singulis osculis dicebat patri: Pares dicamus Deo gratias; & patrem cogebat, ut pariter secum dixisset, quasi communem exhortans ad migrandum ex hac vita. Nam inter utrosque septem dies medii numerantur. Quid fiet de tantis rebus? Quis erit occultarum istarum causarum fidelissimus magister? Æstus cordis mei refundit se tibi in tempore angustiae. Dispensatio exitus pueri ejusque patris est manifesta; quia duo passeret non cadent ad terram, sine voluntate Patris. Animam ergo omni corpore carere penitus non posse, illa res, ut puto, ostendit: quia Deus solus omni corpore semper caret. Post transitum autem animam, quam magis vigilantiorē forte arbitror, expositio tanta molis corporeae ostendit: tunc enim in actione & cognitione, expedita tanto vinculo, ut puto, apparet praestantior, & omnis illa quies spiritalis omnibus perturbationibus & erroribus liberam demonstrat, non marcidam, & quasi segnem, & torpidam, & implicatam facit; quippe cui sufficit perfrui etiam ipsa libertate, quam adeptus est, cum mundo & corpore caret: nam intellectum eam pasci, & ponere* onus spiritale ad fontem vitae, prudenter dixisti, ubi est felix & beata proprietate mentis suae. Nam aliquando ego Servilium fratrem post ejus exitum per somnium vidi adhuc positus in monasterio quod nos per rationem laborem tendere ad intellectum, se autem & tales ipsa contemplationis delectatione manere.

Matth. 10.
29.

*f. os

Exodi 31,
2. & seq.

1. ad Cor.
12, 11.

Peto quoque, ut, quot modis sapientia dicatur, ostendas mihi: ut sapientia Deus, ut sapientia animus sapiens: quomodo dicitur ut lux, ut sapientia Beseleel, qui fabricatus est tabernaculum, vel unguentarium: ut sapientia Salomonis, vel si qua est alia, & quid invicem distent, & utrum illa sapientia aeterna cum Patre in his gradibus intelligenda sit, quomodo diversa munera dicuntur Sp. sancti, qui dividit unicuique propria, prout vult. An excepta illa sola sapientia, quae facta non est, istae factae sunt, & propriam habent substantiam? An effecta sunt & ex definitione operis acceperunt? Multa requiro. Det tibi Dominus & gratiam inveniendi, & sapientiam dictandi, & ad nos celeriter scribendi. Imperite & rustice scripsi: sed quia dignaris nosse, quid quae ram; per Christum Dominum obsecro, ut in his corrigas me, & doceas, quod intelligis me scire cupere.

*Al.
CCLIX.

EPIST. * CCLIX.

Augustinus Cæciliano.

Domino merito illustri, & debito à me honore dignissimo filio, Cæciliano, Augustinus in Domino S.

V. Possid.
Ind.

Querela de me apud te literis tuis indita tanto est mihi gratior, quanto plenior charitatis. Si ergo, quod tacui, purgare coner; quid